



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, 1657**

Synodus Verdensis, ejusdem Episcopo Francisci Gvilielmi, celebrata VIII  
Maii MDCXXX. Vbi & Series Episcoporum Verdensium, cum Catalogo Cleri  
Dioecesios ejusdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

S Y N O D V S  
D I O E C E S A N A  
E C C L E S I A E V E R D E N S I S ,

P R A E S I D E N T E

Illusterrissimo ac Reverendissimo Principe  
ac Domino,

D . F R A N C I S C O  
G V I L I E L M O ,

E P I S C O P O V E R D E N S I ,  
O S N A B R U G E N S I E T M I N D E N S I ,  
C O M I T E D E W A R T E N B E R G ,  
E T D O M I N O I N W A L D ,

Celebrata VIII Maji M DC XXX.



Otus bellici Germaniae, quos rebellio Bohemica, non solum in rebus Politicis, verum & præcipue in Ecclesiasticis totiusque religionis Orthodoxæ, Anno M D C X V I I I incepit, totam peragasse Germaniam, undeque ab alienæ fidei tum internis tum externis hostibus, fomentis acceptis, nemo est qui ignoret. Et, cum Catholici ubique, contra paetæ Passavica pacemque religionis, tot annis læderentur ac laceferentur; dum omnino supprimi nollent, merito in sui defensionem justam conspirarunt, protectionemque Cælaris, vigore Constitutionum Imperii, implorarunt. Progressus illi exercitus Catholici ex historiis noti sunt. Anno itaque M D C X X I X , cum Dei ductu, populi ad Visurgim etiam se dederint, Capitulum Verdensis Ecclesiæ, nemine compellente, in locum Friderici Holstiae Ducis, Dania Principis, & futuri Administratoris Verdensis, per tractatus pacis Lubecensis exautorati, ad aequitatem & rationem redeentes, vota sua in personam Domini Bartholdi Comitis de Königseck, ibidem Canonici Domicellaris, tum Colonie absentis, (quem, eum in finem, contra morem, emancipatum, in Capitulum suscepserant, ut eligi posset,) vota sua direxerunt. Erat tum Decanus, aliisque undecim Canonici acatholici, & tres cum dicto Comite Catholicus. Electus, ut moris est, Papæ Urbano VIII pro confirmatione, & Ferdinando II Imperatori pro obtinendis Regalibus, presentatus fuit. Sed, cum dicta electio multis laboraret vitiis, præterquam quod Sedes Apostolica, juxta Concordata Germaniae, praxinque in Imperio, jus sibi pro hac vice devolutum sustineret, Cælarque illud negare non posset; literas recom mendatias dedit, ac Illusterrimam suam Celsitudinem proposuit, una cum Osnabrugensi, eidem Verdensi præponendum. Placuit id Urbano VIII; statimque bullas, xxvi scilicet Mensis Ianuarii M D C X X X , expediri mandavit. Iis acceptis, Sua Celsitudo ire constituit ad possessionem capiendam. ne tamen suæ Osnabrugensi Ecclesiæ deesset, prius Synodum præcedentem, ut vidimus, v mensis Martii, ibidem celebravit; eaque finitâ, statim se Verdam contulit. Et, cum statum illius Verdensis Diœcefis & Principatus cognoscere vellet, nec non multa (præfertim cum, vi gore Edicti Cæfarei, juxta paetæ Passavica, in qualificati detentores Ecclesiasticorum beneficiorum, per alios Commissarios Ferdinandi II Imperatoris, per Circulum Westphalicum pro executione Edicti Cæfarei quoad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum constitutos, privati essent,) in gente non cognitâ

disponenda occurrerent, solemnem ingressum, possessionem, Statuumq; homagium præstantum, in primam Maji differendum censuit, ut omnia debite disponi possent. Imprimis ergo, ut vidit, Cathedram Ecclesiam omnino alter pro Catholicò exercitio disponendam esse; statim reformationi, & personali & materiali, animum adjecit. Sed, cum in Choro omnia parari curaret, tabernaculum, ubi Venerabile Sacramentum olim asservabatur, obseratum, aperiri jussit; in eoque invenit pyxidem seu Ciborium, cui adhuc tres consecratæ integræ Hostiæ inerant; cum tamen in aliâ pyxide lignea plures, non consecratæ, superessent, sed omnes vermis corrosoe. Erat etiam per pulchrum tabernaculum magnum, quod monstrantiam vocant, ex argento, aliaque vafa sacra, quæ mirum quod à tempore mutata religionis, ab anno scilicet M D LXVII usque nunc, per tot belli incommoda (civitas enim hæc sepius, nunc huic, nunc alteri parti, in ditionem venit,) conservata fuerint. Infuper, cum pavimentum moveretur, inventa fuit una tumba cum plurimis Episcoporum Reliquiis. Illas Episcoporum fuisse, partes ex sacro vestitu Pontificio, Pedis, Mitris, Sandaliis, aliisque signis, denotabant. Sanctorum item liber antiquissimus Ecclesia habebat, ante aliquot secula Corpora primorum Episcoporum in unam tumbam eo translata, nempe SS. Sniberti, Tanconis, Pattonis, Cevilonis, Cortylæ, Nortyle, Erlulphi Martiris, atque Harruchi. Ossa itaque in novam tumbam, ad id paratam, per Sacerdotes selecta, & à Sua Celsitudine obsignata, retro Altare majus, pro custodiâ, seposita fuere.

Omnibus paratis, primâ Maji, solemniter ex Residentiâ sua castrâ Rodenburgensis difcessit mane, magnâ catervâ & Aulæ & officialium militarium, nec non Nobilitatis, comitatus. Ad Ecclesiam à Catholicis Canonis exceptus, ad domum Capitularem pro iuramento Ecclesiæ exsolvendo deductus, postea in templum reductus, possessionem consueto illis Ecclesiis more, accepit. Altera die homagium à Statibus præstitum fuit. Indictam Synodus etiam celebravit octava Maji, eo per omnia modo, ut Anno M D C XXVIII primam suam Osnabrigi. Sed, cum nullus esset Clerus orthodoxus, imprimis Præbendas, tam in Cathedrali, quam in Collegiata S. Andreæ, per destitutionem inqualificatorum vacantes, alii, quorum aliquot præfentes erant, contulit, ad ratificationem Sedis Apostolicæ (quod postea Urbanus VIII publica bulla confirmavit.) Similiter, pro supplendis Vicariis, & ad Parochias providendas, evocavit duodecim Alumnos, Sacerdotes, ex suo Osnabrugensi Seminario; item aliquos ex Societate Iesu Patres, & S. Francisci de Observantia; utrisque etiam loca residentiarum, intra Civitatem fundanda,

con-

constituit & assignavit. Ad Synodum per proclama convocati sunt omnes, qui quoquo modo per Dioecesin curæ animarum statuiq; Ecclesiastico se immiscerent. Comparuerunt itaque, præter duos Cathedralis Ecclesiarum Canonicos Catholicos, Dominum de Mandelstoe, & Dominum Fulle, Dominum Georgius de Marschalek, (qui, uti aetate maturus, trigeminum enim annum superaverat, ita, verè religionis cupidus, se per hos tres mensæ ulterius in fide orthodoxa instrui petuit,) & Catholici de Clero Osnabrugensi, tum laiculæ tum regulari, evocati. Sacrum solemne, reliquaque quæ Ordinis sunt Episcopalis, exercuit Reverendissimus Dominus in Christo Pater Ioannes Peckingius, Ordinis S. Francisci, SS. Theologiae Doctor, Episcopus Cardicentis, ac Suffraganeus Paderbornensis, à sua Celsitudine requisitus ac invitatus. Orationem pulchram Synodalem habuit Pater Augustinus Turrianus Societas Iesu. Sub ea comparuit Superintendens, & omnes Prædicatorum, circiter viginti quatuor, in habitu suo, stantes à parte sinistra Cleri orthodoxi, in scamnis sedentis. Professionem fidei publice prælegit, & primus præstitit, Dominus Georgius Marschalek ante Altare majus; quem Catholici singuli subsecuti sunt. Illustrissimus tuac eam contestatus est, hisce verbis:

*Qui aliter senserit, anathema sit; qui aliter docuerit, anathema sit. hæc est sola & vera fides Catholica, extra quam nulla salus: hanc solam omni diligentia docebimus: hanc solam totis viribus defendemus: hanc ad ultimum usque spiritum servabimus.*

Quod omnes Orthodoxi & Catholici, ad singula, acclamatione fausta, & communi indice voluntatis paratae, per verbum, *Placet*, confirmarunt. Post professionem, lecta sunt

Statuta Synodalia: & primo, promulgatum Concilium Tridentinum, Breviarium Romanum, Calendarium novum Gregorianum: lecta etiam quedam circa mores & doctrinam: promulgata ibidem Statuta Metropolitica Moguntinensis (de cuius Provincia hæc Verdenis Ecclesia est suffraganea) sub Sebastiano Archiepiscopo, in ultima Synodo Metropolitica, Anno M D XLIX, die vi Maji, condita. Et sic finita prima Sessione; cum prius graviter sub poenis prohibitus esset, ne quis, nisi cras, finita Synodo, ex Civitate sine licentia suæ Celsitudinis recederet. A prandio, coram deputatis Illustrissimæ suæ Celsitudinis, comparuerunt omnes Prædicatorum; &, examinati de statu fuarum Parochiarum, redditibus, utensilibus Ecclesiasticis, jure patronatus, bonis, aliisque circumstantiis, depoluerunt ad singula interrogata juramentaler; prout protocollo docet. Altera die, facta relatione, Illustrissima sua Celsitudo fecit Decretum privationis & emigrationis intra triduum respettive & octiduum non exercendi munus Ecclesiasticum, nec amplius habitandi in Dioecesi. Hoc Decretum in Sessione secunda promulgatum fuit, singulique locis Catholici designati Pastores ac Rectores Ecclesiasticorum. Et sic hæc Synodus, more solito, dimissa est. Post quam Illustrissima sua Celsitudo tota reformationi hujus Dioecesis incubuit; &, mensé Iunio, ad Dietam Ratisbonensem evocata, inde discessit, relictis Vicario, Officiali, aliisque Ministris Ecclesiasticis, qui huic plantationi nova vineæ ulterius intenderent. Statuta actaque hujus Synodi alibi inveniuntur. Et, cum Ecclesia hæc, ut dictum est, non sit de Provincia Colonensi, sicut Osnabrugensis, plura de hac Synodo, hoc in libro, non videbantur inserenda. Subjungitur tamen pro memoria numerus Episcoporum, & Catalogus locorum ac Ecclesiasticorum.

ORDO AC SERIES  
EPISCOPORVM  
ECCLESIAE VERDENSIS,

ab Anno Christi DCC LXXVI,  
usque ad annum M DC LIII.

CAROLVS MAGNVS, Ecclesiæ Verdensis  
Fundator circa annum Domini DCC LXXVI.

		Anni
I.	S. SUIBERTVS, Abbas in Anglia, Ordinis S. Benedicti, Vir magnæ sanctitatis, condidit, auxilio Caroli Magni, Coenobium Monachorum Ordinis S. Benedicti, contiguum Ecclesiæ Cathedrali. præfuit circiter	Sef. fio. Obi- tus. 21
II.	S. PATTÖ, Scotus, Abbas Amarbaracensis, Ordinis S. Benedicti.	
III.	S. TANCO, natione Scotus.	
IV.	S. NORTYLA.	
V.	S. CEVILo, aliis LEVILo.	
VI.	S. CORTYLA, natione Scotus.	
VII.	SINGERVS.	
VIII.	S. HARRUCHUS, Scotus, Abbas Amarbaracensis. Sub hoc à summo Pontifice canonizati sunt S. TANCO & S. PATTÖ, miraculis clari.	
IX.	HELINGALDV.	
X.	S. ERLVLPHVS, cum aliis Christianis, martyrio coronatur à Nord- mannis & Danis, in loco qui dicitur Epeckesdorp, circa annum	876
XI.	WALTERVS, natione Saxon.	
XII.	WIGEBERTVS, nobili stemmate ortus, omne suum patrimonium Ecclesiæ donat.	
XIII.	BERNARDVS, Ludovico III, Conrado I, & Henrico Aucipi, Imperatoribus, charus.	
XIV.	S. ADELWARDVS, illustri genere natus.	
XV.	AMELUNGUS, filius Ducis Hermanni Wilungi.	
XVI.	BRUNO I, Saxonie & Sueviae Dux; Ottonis Imperatoris Nepos; patrimonium Ecclesiæ suæ donat, Monasterium Virginum Vlsimense in honorem B. M. V. & S. Ioannis Baptiste exstru curat. postmo- dum, anno Christi DCCCC XC V, Pontifex Romanus creatur, di- ctus exinde GREGORIVS V.	
XVII.	HERPO, ab Ottone III Imperatore accipit potestatem cedendi mon- netam.	
XVIII.	BERNHARIUS, aliis BERNANVS.	
XIX.	WIGGERVS, ampliat Cathedram Verdensem.	1013
XX.	DIETHMARVS, exigu tempore Ecclesiæ suæ præfuit.	1038
XXI.	BRUNO II. Sub hoc Vandali Dicecis Verdensem devastarunt.	
XXII.	SIGEBERTVS, Henrico IV & ejusdem matri Agneti Imperatrici charus; unde eidem Forestum Magdheydense & Arcem Hermen- burgensem donarunt.	1060
XXIII.	KIRCHEBERTVS, Dicuali stemmate natus, Ordinis S. Benedicti Monachus.	
XXIV.	HARDOVIGVS, obiit sub Lothario II Imperatore.	
XXV.	MASO, alias MAZO, Canonicus Goslariensis, moritur circa annum	1128
XXVI.	DIETHMARVS II, interfuit expeditioni Hierosolymitanæ sub Conrado III Imperatore,	40 1168 XXVII.

	Annis	Sef- ficio- nis.	Obi- tus.
XXVII. HERMANNVS , Imperatori Friderico admodum charus, ab Euge- nio III Papa privilegia consecutus.			
XXVIII. HVGO.	7	1197	
XXIX. TAMMO, vel TANNO, Camerarius Cathedralis Verdenis, ar- cem Vallenthoensem Ecclesiae suæ acquisivit.	11	1208	
XXX. RODOLPHVS.	26	1234	
XXXI. ISO, Comes de Welpa.	20	1254	
XXXII. LUDERVS, fundavit Monasterium Schernbecense. Sub hoc capta est Civitas Verdenis à Comite de Welpa.	16	1270	
XXXIII. GERHARDVS, Comes de Hoya. Sub hoc Cathedralis Verdenis, & Canonicorum habitationes incendio vastantur.	33	1303	
XXXIV. CONRADVS, Dux Brunswicenlis, laudabiliter präest.	10	1314	
XXXV. FREDERICVS, Dominus ab Honstetten.	20	1334	
XXXVI. NICOLAVS, Vir summae prudentiæ.			
XXXVII. IOANNES, Curia Romana Medicus, à Papa Benedicto XII com- mendatus, Verdeni Ecclesiae präficitur; sed, quia regio minus pla- cebat, Roman reversus, fit Episcopus Frifingensis.			
XXXVIII. DANIEL, Theologæ Magister, Ordinis Carmelitarum, ex Pon- tifica provisione fit Episcopus Verdenis; verum, cum, exactis xix annis quietè präfuisset, tandem inter illum & Capitulum exortæ di- scordiæ; unde Coloniam migravit, ibidemque mortuus est.			1356
XXXIX. WOOLEHV S, Caroli IV Imperatoris Cancellarius, Principibus Imperii valde charus, paucò tempore präfuit.			
XL. GERHARDVS, Baro Montenlis, cùm paucis annis präfuisset, ad Episcopatum Hildesimensem evocatus, Verdensem resignat, anno MCCC LXIV.			
XLI. HENRICVS à Langen, Luneburgensis, Præpositus Monialium Lunensium.	15	1380	
XLII. IOANNES de Sesterfliet, Decanus Bremensis, laudabiliter präest.	8	1388	
XLIII. OTTO, Dux Brunswicenlis & Luneburgensis. Sub hoc Ecclesia Ca- thedralis ex integro est reædificata; quam ipse, anno M CCC XC, de novo consécavit. Evocatus deinde ad Archiepiscopatum Bre- mensem, resignat Verdenem.			
XLIV. THEODORICVS de Niem, Sacrae paginae & Legum Magister, à Bonifacio Papa IX, Verdeni Ecclesiae präficitur. verum, cum paucis annis eidem präfuisset, eundem resignat, & fit Archiepisco- pus Cameracensis.			
XLV. CONRADVS, Nobilis de Vechra, Iurium Doctor, cùm paucis an- nis präfuisset, codem resignato fit Archiepiscopus Pragenis.			
XLVI. CONRADVS à Sultou, Luneburgensis, Sacrae paginae Doctor. Hic, de hæresi accusatus, coram summo Pontifice se purgavit.			1407
XLVII. HENRICVS Comes de Hoya, Decanus Verdenis, cùm annis xix Ecclesiae suæ präfuisset, Episcopatum resignat anno M CCCC XXVI.	19		
XLVIII. IOANNES de Asel, Hildesimenis, Decretorum Doctor, à Martino V Papa, Verdeni Ecclesiae präficitur. qui, cum per XL annos Ec- clesiae suæ utilissimè präfuisset, eandem resignat.			
XLIX. BERTHOLDVS, Baro de Landsbergen, Decanus Verdenis, colli- git insignem bibliothecam; novis ædificiis Cathedram. Ecclesiam illustrat; creatur etiam Episcopus Hildesimenis. sedit circiter annis L.	33	1503	
CHRISTOPHORVS, Dux Brunswicenlis, Archiepiscopalis Ec- clesiae Bremensis Coadjutor, creatur, anno ætatis suæ XVI, Admi- nistrator Verdenis, & postmodum consecratur Episcopus Catholi- co ritu, nec non tam à Papa quam Cæsare confirmatur.			
L. GEORGIVS, Dux Brunswicenlis, Præpositus Coloniensis, & dein- de Episcopus Mindensis & Archiepiscopus Bremensis, fit etiam Epi- scopus Verdenis, mortuo fratre; usque ad finem vitæ, Catholicæ si- dei defensor.			
LII. EVERHARDVS ab Holla, Episcopus Lubecensis, & Abbas fan- cti Michaëlis Luneburgi, Sacerdos & vir Catholicus, tam à Papa quam à Cæsare confirmatus, in fine vitæ à Catholicæ fide ad sectam	T 4	Luthe-	

- Lutheri primus ex omnibus Episcopis Verdensibus deflexit, circa annum M D L X V I I .
- LIII. PHILIPPVS SIGISMUNDVS, Dux Brunswicensis, postulatur Episcopus Verdensis; verum, cum esset alienæ religionis, neque à Papa neque à Cæsare confirmationem juxta Canones & Constitutiones Imperii obtainere potuit. Obiit ultima Martii.
- LIV. FRANCISCVS GVLIELMVS, Comes de Wartemberg, Episcopus Osnabrugensis & Mindenis, ab Urbano VIII Papa, ex jure devoluto hac vice, Verdenfi Ecclesiæ præficitur, & tam à Papa quam Imperatore legitimè confirmatur: prima Martii, anno Christi M D C XXX, accipit possessionem; sed ab hostibus Imperii, anno sequenti, ex Diocesis pellitur. vivit adhuc anno hoc M D C L I I I ; cui Deus longævam in terris & æviternam in cœlis vitam donare dignetur.

Anni  
Sef-  
Obi-  
fio-  
tus.  
nis.

1625

SEQVITVR  
CATALOGVS  
CLERI VERDENSI S,  
SÆCVLARIS AC REGVLARIS,  
tam in Civitate quam extra eam.

**C**apitulum Cathedralis Ecclesiæ Verdensis, sub patrocinio Beatae Mariæ Virginis. Sunt in eo quindecim Canonici; ex quibus quinque seniores tenentur esse Presbyteri, quinque sublequentes Diaconi, & quinque juniores Subdiaconi. Hæc Cathedra lis simul est Parochialis.

Abbatia sancti Michaelis in civitate Luneburgensi, Ordinis sancti Benedicti.

Præpositura S. Ioannis in Luneburg.

Collegiata S. Andreæ in civitate, quæ simul est Parochialis.

Monastryum Ordinis S. Francisci de Observantia, in Civitate.

Parochiæ in districtu seu Satrapia Rodenburgensi.

Rodenburg,	Wolftorff,
Kirchwæde,	Fifelhövede,
Ahans,	Nienkerken,
Sottrum,	Schneverdinck,
Schezel,	Vinttel,
Brokul,	Salshufen.

In districtu Ducatus Luneburgensis extendit se Iurisdictione Diocesana Episcopatus Verdensis, cis Alleram fluvium, usque ad Albim, Isam, & Iteren fluvios; nec non in aliquam partem Comitatus Hoya ultra Alleram.

## AD LECTOREM.

**C**VM hæresis à plurimis annis hac in Diocesi invaluerit, Episcopos & Administratores infecerit, vel ab illis nutrita fuerit; sicut plurima alia, vel incuria vel malitia, perierunt documenta, ita & hic Cleri jurisdictione Ecclesiastica subjectorum locorum compilatio non sine magnis difficultatibus, ex monumentis, antiquis designationibus, aliisque documentis authenticis, erui debuit. Vt vero nemini per hoc præjudicatum volumus, ita &c, si quid omissum, nullatenus concedimus. Vale.

Parochiæ aliae intra Civitatem Verdensem.

Sancti Ioannis; & S. Nicolai.

Parochiæ extra Civitatem, in districtu seu Satrapia Verdensi.

Sancti Nicolai in	Westen,
Dörstet,	Annenberg,
Isloe,	Dorverden,
Wittloe,	Lenteloe.

SYN-